
Beatificazione del Venerabile Servo di Dio Josemaría Escrivá de Balaguer Sacerdote Fondatore dell'Opus Dei

Breve pontificio di beatificazione

LITTERÆ APOSTOLICÆ

Venerabili Servo Dei Iosephmariæ Escrivá de Balaguer, Sacerdoti, Fundatori Societatis Sacerdotalis Sanctæ Crucis et Operis Dei, Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. Munere perfungens instaurandi Christi regnum in omnibus gentibus (cf. *Lumen Gentium*, 5), Ecclesia est «universale salutis sacramentum, mysterium amoris Dei erga hominem manifestans simul et operans» (*Gaudium et Spes*, 45).

Venerabilis Iosephmariæ Escrivá nuntium mira congruentia exprimit universalis mysterii salvifici momentum: «Omnes vocantur ad sanctitatem; Dominus a singulis postulat amorem: ab iuvenibus et senibus, a cælibibus et matrimonio iunctis, a sanis et ægrotis, a doctis et indoctis, ubique laborem exercentibus, ubique versantibus» (*Amigos de Dios*, 294). Proclamans in dolem omnino radicalem baptismalis vocacionis, nova aperuit ille itinera quo melius christianam fidem in societatem insereret: commonuit enim vocationem universalem ad plenam cum Christo communionem inducere etiam in omne opus humanum facultatem Deo occurrenti.

Labor, igitur, momentum peculiare habet in œconomia quæ ad sanctificationem et apostolatum pertinet. Conexio specialis inter dynamismum tum actionis humanae tum gratiæ divinæ, dum patefacit primas partes tribuendas vitæ coniunctionis supernaturalis cum Christo, efficit etiam, ut fideles fortius conentur in christianam animationem rerum temporalium incumbere. Venerabilis Iosephmariæ Escrivá fidei totam ostendit redemptricem vim tum quoad singulos, tum quoad sociales

BEATIFICAZIONE DI JOSEMARÍA ESCRIVÁ DE BALAGUER

structuras, in quibus homines suam vivendi formam suasque appetitiones mente concipiunt.

Fundator Operis Dei fere innumeratas virtutes apostolicas animadvertisit, per studium sanctificandi labore cotidianasque actiones a communi christifidelium vita exprimendas. Hinc ipse instanter necessitatem urget in concordem vitæ unitatem redigendi precationem, laborem et apostolicam navitatem: «Est unica vita, constans ex carne et spiritu, atque ea est, quæ oportet —quoad animam et corpus— sancta sit et Deo repleta (...). Nostra ætate, opus est restituere rebus et adiunctis, quæ communiora videntur, primigeniam eorum significationem eademque in servitium Regni Dei adhibere» (*Conversaciones*, 114).

Venerabilis Iosephmaria Escrivá, Barbastri in Hispania natus die 9 mensis Ianuarii, anno 1902, ordinationem sacerdotalem suscepit die 28 mensis Martii, anno 1925, et die 2 mensis Octobris, anno 1928, condidit Matriti Opus Dei; die 14 mensis februarii, anno 1930, intellexit suam extendendam esse apostolicam navitatem etiam ad mulieres. Fideliter muneri obsecundans, sacerdotes atque laicos, viros ac mulieres cuiusvis condicionis adduxit ut invenirent in cotidianis muneribus perficiendis suam erga Ecclesiæ missionem, plene servata Deo deditio in ordinariis vitæ sæcularis adiunctis. «Aperta sunt divina itinera in orbe terrarum!» exclamabat (*Es Cristo que pasa*, 21): non solum fructus pastorales descripsit, quos peculiare huiusmodi evangelizationis studium portendebat, sed etiam hoc opus perfecit, utpote ad stabilem et ordinatam Ecclesiæ naturam pertinens.

Post laboriosam vitam huic strenuo servitio ecclesiæ integre deditam, intus signato per mysterium Crucis, quod coniunctissime vixit cum Beata Virgine Maria, Venerabilis Servus Dei animam Domino reddidit die 26 mensis Iunii anno 1975, in urbe Roma. Vitæ spiritualis magister, valuit contemplationem adipisci prectione continua, iugi sui castigatione, adsidua operis perfunctione, singulari docilitate erga Spiritus Sancti incitationes, dummodo posset «servire Ecclesiæ, quemadmodum Ecclesia vult sibi serviatur».

Conspicua sanctitatis fama, quam vivens consecutus est, mirum in modum post mortem est confirmata. Anno 1981, Hugo Cardinalis Poletti, Vicarius Generalis urbis Romæ, causam incepit Canonizationis Servi Dei. Postquam duo Processus Cognitio- nales super vita et virtutibus, alter Romæ alter Matriti, celebrati sunt, disceptatum est super heroicitate virtutum. Decretum denique de hac re editum est die 9 mensis Aprilis anno 1990.

Inter plura miracula deprecationi Servi Dei attributa, delecta est religiosæ sodalis mira sanatio, quæ accidit anno 1976, et super qua, anno 1982, Processus Cognitio- nalis instructus est. Quæ sanatio est ex more consulta, et die 6 mensis Iulii anno 1991 decretum *super miro* est promulgatum.

Tandem statuimus ut ritus beatificationis die 17 mensis Maii anno 1992 celebra- retur.

Hodie, igitur, Romæ in area Petriana, inter sacra sollemnia, hanc formulam su- mus elocuti:

BREVE PONTIFICO DI BEATIFICAZIONE

Nos, vota Fratrum Nostrorum Camilli Ruini, Vicarii Nostri in Urbe, et Petri Iacobi Nonis, Episcopi Vicentinensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Iosephmaria Escrivá de Balaguer, presbyter, Conditor Operis Dei, et Iosepha Bakhita, virgo, Filia Caritatis, Canossiana, Beatorum nomine in posterum appellantur, eorumque festum die ipsorum natali: Iosephmariae Escrivá de Balaguer die vicesima sexta Iunii, Iosephae Bakhita die octava Februarii, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quæ autem per has Litteras decrevimus, ea firma et nunc et in posterum esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romæ, apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVII mensis Maii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Loco + Sigilli
In Secret. Status tab., n. 304.722

Ed ecco una nostra traduzione italiana del Breve:

LETTERA APOSTOLICA

Beatificazione del Venerabile Servo di Dio Josemaría Escrivá de Balaguer, Sacerdote, Fondatore dell'Opus Dei.

GIOVANNI PAOLO PP. II

In perpetua memoria. — Inviata ad instaurare in tutte le genti il regno di Cristo (Cf. Conc. Vat. II, Cost. dogm. *Lumen gentium*, n. 5), la Chiesa è «l'universale sacramento della salvezza, che svela e insieme realizza il mistero dell'amore di Dio verso l'uomo» (Conc. Vat. II, Cost. past. *Gaudium et spes*, n. 45).